

ad omnes legum interpretationes, omnesque fraudulentos modos violandi illas. Dixi denique sermonem esse de legibus prohibentibus actum quoad suum usum seu exercitium, quia si lex permittat actum et designet modum, solumque prohibeat actum aliter factum, jam illud pertinet ad illud genus prohibitionis quod nos vocamus quoad specificationem, seu conditionatum, de quo dicendum est in cap. 31. Denique dixi intelligendum hoc esse de circumstantiis quæ sunt extra substantiam actus; nam si tantum sit circumstantia personæ, non sufficit. Quamvis enim lex prohibeat actum tali vel tali generi personarum, simpliciter prohibet actum, etiamsi non prohibeat omnibus personis, et habet locum interpretatio legis *Non dubium*, ut patet etiam ex casu particulari occasione cujus lata est, scilicet, de lege prohibente curialibus tantum et non omnibus, quia respective ille actus simpliciter est prohibitus in se et in substantia sua.

19. Adde præterea, supposita nostra interpretatione ad dictam legem, acceptari etiam posse primam limitationem communem, ut habeat locum circa leges pure prohibentes, et non adjicientes aliam pœnam. Nam si legislator aliam pœnam addidit, videtur illa fuisse contentus; ostendimus autem irritationem introductam per legem *Non dubium* pœnalem esse; non ergo existimandum est voluisse imperatorem multiplicare pœnas, sed locutum fuisse de lege tantum prohibente. Atque hoc modo favet regula legis *Sanctio*, ff. de Pœnis, quod *in hujusmodi pœnis generi per speciem derogatur*; lex autem *Non dubium* quoad hoc generalitatem quamdam continet per universalem quamdam interpretationem aliarum legum; ergo si in alia lege est pœna specialis imposita, impedit generalem pœnam, seu interpretationem. Et ita censuit etiam Rota t. de Appellat. in novis, decis. 64, n. 7, cum Cyn., Din., Bart. et aliis. Neque contra hoc obstant superius objecta contra primam limitationem, quia illa videntur procedere ex natura rei, et supponendo irritationem hanc non esse pœnalem; nos autem fatemur verbum *prohibendi* ex se non inducere hanc irritationem, et, ut inducitur virtute legis *Non dubium*, esse pœnalem, et ita pœnam hanc oriri ex lege distincta ab altera prohibente et non imponente aliam pœnam. Et ideo recte accommodatur prædicta limitatio.

20. Atque ita etiam in bono sensu sustinenda est altera limitatio, de lege quæ addit alium modum dissolvendi actum, vel verbum quo

magis valere significetur quam lex *Non dubium* permittat: nam tunc standum est speciali legi quæ derogat generali, tum ratione specialitatis, tum etiam quia eo ipso non est tam perfecta, absoluta, et pura prohibitio, qualis in l. *Non dubium* desideratur. Neque contra hoc obstant objectiones factæ contra quintam limitationem communem, quia illæ vel procedunt contra eos qui dixerint legem prohibentem ex se irritare, et non ex interpretatione et additione generali ejusdem legis civilis, vel certe sumuntur ex legibus et materia canonica, quæ non sunt ad rem, ut diximus.

21. Præterea secunda distinctio communis, quatenus generalem regulam admittit in lege habente perpetuam causam prohibitionis, improbari non potest, dummodo intelligatur non ex natura verbi *prohibendi*, nec ex quocumque jure, sed tantum ex civili et communi, et ex vi dictæ l. *Non dubium*. Nam si in aliqua lege habere potest suum effectum, maxime in lege habente causam perpetuam. Nec instantiæ in contrarium procedunt contra hunc sensum, quia ex juribus canonicis desumptæ sunt. An vero perpetuitas hæc conferre per se possit ad irritationem, absque alia declaratione posita in lege, dictum jam est. Limitatio vero quæ fit in altero membro, de legibus prohibentibus et habentibus temporalem causam, ut in eis non procedat interpretatio legis *Non dubium*, non video quo sufficienti fundamento probari possit; quia, licet considerata sola vi prohibitionis illud sit verum, modo supra explicato tractando de lege naturali, tamen, stante jure positivo, non est necessarium, quia lex *Non dubium* non consideravit causam prohibitionis, sed absolutam prohibitionem; potest autem esse absoluta prohibitio, licet causa sit temporalis. Item omnes tales transgressiones generaliter et indistincte punit lex *Non dubium*, et licet causa legis sit temporalis, nihilominus transgressio ejus potest esse gravis et digna tali pœna; ergo. Denique hoc probat discursus factus contra illam limitationem secundam circa primum membrum ejus. Nam, licet instantiæ ibi adductæ sint sumptæ ex jure canonico, tamen possent similes prohibitiones fieri per leges civiles, et certe prohibitio facta curialibus in eadem l. *Non dubium* causam temporalem habuit, scilicet, ne sollicitudo et cura in illo munere impediretur, aut rectitudo everteretur: poterat enim officium esse temporale, et ita etiam causa esse temporalis. Quod si dicatur perpetua, quia quamdiu durat officium durat causa, hoc modo quælibet lex pro-

hibens dicitur habere causam perpetuam, quia, quamdiu causa durat, ratio etiam prohibitionis permanet. Illam ergo limitationem quoad illam partem non admitto, sicut illam in simili non admittit lex *Stipuletur*, 35, ff. de Verb. oblig. Similiter etiam non admitto quartam a Greg. Lop. positam de præjudicio contrahentium vel tertii, quia nec fundamentum habet, nec ad l. *Non dubium* et verba ejus recte accommodatur.

22. Alia vero limitatio addi posset, scilicet, ut illa dispositio procedat in actibus qui introducunt vincula dissolubilia et effectus habent revocabiles; non vero in his qui semel validi irritabiles non sunt, ut sunt matrimonium, professio religiosa, et similes. Verumtamen hæc limitatio esset fortasse utilis si dispositio illius legis ad jus canonicum extenderetur; nam in materia illius juris inveniuntur hujusmodi actus indissolubiles: in actibus autem mere civilibus et humanis non sacris non invenitur illa irrevocabilitas, et ideo non est accommodata limitatio, cum dictum sit dispositionem illius legis tantum ad materiam civilem extendi. Præterquam quod licet esset possibilis, non habet fundamentum in lege nec fundamentum sufficiens: et contra illam procedit ratio quam statim proponam. Alia denique limitatio esse potest, ut lex illa restringatur ad materias graves in quibus prohibitiones sunt etiam graves, et ideo actus contrarii sunt digni tam gravi pœna: nam injusta esset lex tam graviter puniens leviores actus. Quæ limitatio probabilis quidem est; non videtur tamen necessaria, quia si actus prohibitus continetur in generalitate verborum dictæ legis, non est cur excipiatur a pœna; quia si transgressio fuit levis, etiam irritatio ejus erit pœna levis, et ita semper servatur proportio et æqualitas; si autem actus non est absolute prohibitus, quia non est materia ad civilem prohibitionem, tunc omnino est extra materiam illius legis, nec oportet de illo specialem exceptionem facere.

23. *Satisfit secundæ parti objectionis.* — Ad secundam partem objectionis, Mendoza supra dicit imprimis in dubio censendum esse leges civiles non irritare actus simpliciter et in se, quoad naturalem obligationem, seu in foro conscientiæ, sed tantum dare vel auferre actionem in ordine ad judicium civile, et eodem modo irritare aliquos actus in ordine ad judicium sententiam. Nec tamen negat posse leges civiles illud facere, sed potius expresse id affirmat; requirit autem ut satis clare lex declaret illam mentem suam et illum effec-

tum, quia si res maneat dubia et obscura, semper interpretabimur legem irritare meliori modo. Quam regulam ego veram censeo, sufficienterque posse probari ex dictis circa interpretationem legis *Non dubium*. Objectio autem facta videtur urgere, quia nunquam lex civilis censenda erit explicare sufficienter irritationem absolutam actus, id est, quoad totum valorem et obligationem naturalem, si lex *Non dubium* hanc non explicavit. Respondeo tamen breviter negando sequelam: in multis legibus civilibus potest esse multo major ratio intelligendi omnimodam irritationem, etiam quoad naturalem obligationem. Quæ ratio discernendi has leges partim ex verbis, partim ex materia desumenda est, ut supra explicuimus.

CAPUT XXIX.

UTRUM EA QUÆ FIUNT CONTRA LEGEM CANONICAM PROHIBENTEM PURE SINT IPSO JURE INVALIDA.

1. *Leges canonicæ prohibentes actum non irritant ipso facto, nisi aliunde constet: est communis juristarum et theologorum.* — Pontifices et Concilia quomodo irritent in suis decretis. — Ratio dubitandi posita est in cap. 25. Qua non obstante, dicendum est actum hujusmodi non esse ipso jure irritum, quia leges canonicæ prohibentes actum directe et in substantia ejus, non irritant illum ipso facto, nisi ex aliis verbis vel aliis particularibus signis constet de tali effectu. Hæc assertio sumi potest ex Glossa ult. in cap. penul. de Despons. impub., et videtur esse nunc communis sententia theologorum, imo et jurisperitorum; nam hæc regula utuntur ad explicanda decreta Pontificum. Item hæc regula utimur in explicandis pœnis quæ ipso facto incurruntur: hæc autem irritatio annexa prohibitioni ordinariæ pœna quædam est, et ubi non est pœna est grave onus, quia non præsumitur in lege, nisi illud declaret. Ostensum est autem ex natura rei non declarari sufficienter per verbum prohibendi; nulla est lex canonica quæ aliam vim vel significationem illi verbo tribuerit; ergo. Atque hæc ratio probat de omni irritatione ipso facto, sive incurrenda per sententiam declaratoriam, sive ante illam. Denique hæc ratione diligentissime observant Pontifices et Concilia in suis decretis, ut, quando irritare volunt, clausulam irritantem adjiciant, per quam etiam modum et tempus irritationis declarent. Estque optimum exemplum in cap. *Statutum*, de Rescript., in 6, ubi cum in § *Insuper* et sequentibus acceptio

munerum distincte prohibeatur legatis apostolicis, postea in § *Si quid autem* additur irritatio acceptionis per obligationem in conscientia ad restitutionem, quia nimirum censuit Pontifex solam prohibitionem non sufficere ad illam obligationem.

2. Dicunt vero aliqui non hac ratione addi clausulam irritantem, sed ne contrahentes possint renuntiare juri suo, quod facere possent si lex tantum prohiberet, et prohibendo irritaret quasi in actu exercito, et non in actu signato, sicut per clausulam irritantem fieri videtur. Sed hæc ratio sine fundamento excogitata est, quia revera additur illa clausula ad explicandum irritandi effectum, ut ex exemplo proxime allato manifeste patet. Est etiam falsa illa diversitas, quia sæpe non possunt contrahentes renuntiare prohibitioni, etiamsi clausula irritans non addatur, ut patet in prohibitione Concilii Tridentini de non contrahendo matrimonio, non præmissis denuntiationibus; non enim licet sine dispensatione aliud facere, etiamsi contrahentes maxime velint suo juri renuntiare, quia illa lex non est favor illorum, sed ipsius sacramenti et boni communis. Cur ergo Concilium ibi non addit clausulam irritantem, et addidit illam in necessitate præsentiae parochi et testium, nisi quia hic voluit irritare actum, et non ibi? Idem explicatur optime ex capit. *Non solum*, de Regular., in 6, ubi prohibentur quidam religiosi aliquem ad professionem admittere ante elapsam probationis annum; et professio aliter facta expresse irritatur, non tamen omnino, sed quoad talem religionem. Unde nec ex vi prohibitionis actus erat irritus, nec postea irritatur plus quam exprimitur, et nihilominus tunc poterat illi legi renuntiare.

3. *Statutus V et Clemens VIII de professionibus quid statuerunt.* — Præterea declaratur ex duabus constitutionibus a Sixto V et Clemente VIII editis. Sixtus enim prius prohibuit professionem fieri nisi certo modo, et quia aliter factam valere noluit, clausulam irritantem addidit. Clemens autem postea prohibitionem confirmans irritationem abstulit; supponit ergo prohibitionem nudam non irritare, atque etiam supponit prohibitionem sine clausula irritante posse sufficere ut illi renuntiare non possit, nam in illa prohibitionem ita est, ut per se constat. Idem videre licet in canonibus qui prohibent aliquid recipere: nam quando volunt irritare receptionem id explicant; quando vero non explicant, non censetur irritatio, etiamsi talis sit prohibitio ut partes illi renuntiare non

possint. Exemplum quoad legem irritantem sumi potest ex lege irritante receptionem simoniacam: de lege vero tantum prohibente, ex prohibitionem non recipiendi in ordinatione in Trid., sess. 21, cap. 1 de Ref., cui legi non possunt partes renuntiare, quia pro bono communi introducta est. Non est ergo illa ratio addendi clausulam, sed quia sine illa non fieret effectus. Nam potestas renuntiandi aliunde nascitur, scilicet, ex eo quod lex sit in privatum beneficium et favorem facta, cui renuntiare quis posset dum non impeditur, quod non tantum in lege prohibente sed etiam in irritante locum habet.

4. *Lex Non dubium, quomodo a Gregorio canonizata.* — Contra hanc vero conclusionem urget objectio supra facta, quia lex *Non dubium* canonizata est per Gregorium. Respondemus tamen negando assumptum, quia Gregorius nunquam accepit illam ut in canonico jure habeat effectum, sed utitur illa ad effectum alterius legis etiam imperialis. Nam in illa Epist. 7 contra quoddam testamentum cujusdam Abbatis allegaverat Gregorius legem Justiniani imperatoris prohibentis monachos testari, et consequenter jubet retractari omnia per illud testamentum facta, et bona monasterio restitui, et ad hoc mandatum confirmandum subjungit: *Quia imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quæ contra leges fiunt non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint*, ubi clare alludit ad legem *Non dubium*, et illi tribuit effectum a nobis supra explicatum, non tamen circa canones, sed circa alias leges imperiales.

5. *Caput Quæ contra, quomodo intelligendum.* — Sed instari potest ex cap. *Quæ contra*, 64, de Regul. jur., in 6, ubi pro regula statuitur quæ contra jus fiunt pro infectis haberi debere. Atque ita videtur ibi canonizata regula legis *Non dubium*; unde, licet inde non colligatur irritatio omnium similium actuum ipso facto, et statim in foro conscientie, saltem sequitur debere secundum jus canonicum omnes tales actus per sententiam judicis ita tractari, ut ab initio pro infectis habeantur, et revocentur omnia quæ ex illis processerant. Atque ita videntur intelligere regulam illam Dinus ibi, et Glossa, et alii canonistæ. Alii vero declarant illam regulam de his quæ sunt contra jus dans formam substantialem actui, ut Sanci., l. 3 de Matrim., disp. 5, n. 4, ad 4, advertit. Sed hæc restrictio videtur nimia, et in textu non fundata; major autem videtur rigor prioris sententiae, qui etiam in regula non explicatur,

sed valde generaliter loquitur. Et ideo censeo esse quidem applicandam ad omnia quæ contra jus fiunt, non tamen uniformiter, sed cum proportionem juxta modum quo acta fuerint juri contraria, seu juxta modum prohibitionis juris cui actus contrariatur. Per illam ergo regulam magis videtur instrui iudex quam privata persona, quia, ut supra ex Bart. dixi, actus factus contra jus per fictionem juris pro infecto habetur: fictio autem juris maxime solet in ordine ad iudicium externum fieri, et ideo dum regula dicit talem actum pro infecto habendum, iudicem instruit ut videat in quo gradu actus sit contra jus, et ita illum puniat vel retractet.

6. *Quomodo declarandus actus nullus.* — Potest autem actus esse contra jus, non solum eum fit, sed etiam postea eum impletur, et tunc omnino est declarandus actus nullus. Et fortasse de hoc maxime loquitur illa regula, sicut supra explicavimus legem *Pacta quæ contra*, unde hæc regula videtur desumpta. Et ita nullam facit difficultatem; nam retractatio talis actus non est ex vi legis positivæ, sed ex natura rei quam lex declarat, ut supra dixi. Potest etiam esse actus contra jus irritans ipso facto, et tunc etiam retractandus est actus ab initio, vel nullus declarandus. Potest denique esse jus tantum prohibens, et tunc poterit forte iudex dissolvere actum, et quoad hoc habere illum pro infecto, id est, a tempore quo per sententiam irritatur, non tamen poterit retrahere sententiam usque ad initium actus, nisi lex talem poenam per modum confiscationis ipso facto explicaverit. Intelligi etiam hoc debet de irritatione cujus actus capax fuerit. Interdum enim actus est indissolubilis quoad vinculum, qui irritari non potest, ut matrimonium, et tunc si fiat contra legem tantum prohibentem, non potest postea in se irritari; solet tamen secundum quid dissolvi, separando conjuges ad tempus, juxta c. 1 de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie; et similiter ordinatio recepta ab Episcopo non suo et sine legitima licentia, licet sit prohibita, valet; irritatur tamen aliquo modo quoad usum ordinis ad tempus, juxta c. *Episcopus in diocesi*, 7, q. 1. Alii vero actus qui irritabiles sunt, licet valide fiant contra legem prohibentem, poterunt ratione delicti dissolvi, et ita haberi pro infectis ex vi illius regulæ. Quia tamen hæc irritatio non fit nisi in poenam, quæ non designatur in illa regula tantquam ex necessitate omnino imponenda, sed tanquam consentanea tali delicto, juxta cap.

Vides, d. 10, ideo semper erit in prudenti arbitrio iudicis spectare gravitatem culpæ, et an talis poena illi sit proportionata, vel magis alia, juxta occurrentes circumstantias, et tunc poterit sustinere actum et punire delictum.

CAPUT XXX.

UTRUM IN REGNIS NON SUBDITIS IMPERIO CONTRACTUS HUMANI CONTRA LEGEM CIVILEM PURE PROHIBENTEM FACTI, SINT IRRITI IPSO JURE.

1. *Conclusio negativa.* — Respondeo breviter: ubi non obligat jus civile commune seu imperatorium, leges civiles prohibentes actus directe et in se ipsis, ac simpliciter, per se non irritant ipso facto actus contra ipsas factos. Hæc assertio sequitur ex præcedentibus, quia talis irritatio vel esset ex natura rei ex vi verborum talium legum, et hoc non, ut in prima assertionem ostensum est; vel ex vi legis *Non dubium*, et hoc etiam non, quia non obligat in dictis regnis, ut supponimus; vel ex vi juris canonici, et hoc non, tum quia non datur tale jus faciens illam generalem interpretationem; tum etiam quia, licet esset, non obligaret in materia civili, nisi in terris propriis Ecclesie; vel denique ex vi alicujus legis talis regni facientis illam generalem interpretationem, et hæc ostendenda est, alias non est credenda; ubi autem fuerit, habebit in suo territorio illam vim quam lex *Non dubium* habet in terris imperii.

2. Hinc vero colligere possumus in nostro Hispaniæ regno leges pure prohibentes non irritare actus, nisi per specialem clausulam id sufficienter declarent: et cum proportionem judicandum erit de aliis regnis juxta illorum leges et consuetudines. Atque ita de nostro regno sensit Molina, tr. 2 de Inst., q. 88; Vasquez, disp. 164, c. 3. Ratio generalis esse debet, quia nulla lex est in Hispania quæ ita generaliter interpretetur simplicem legum prohibitionem; ergo, cum ex natura rei illa non sufficiat ad irritationem, non est ullum fundamentum ad talem interpretationem faciendam. Potestque hoc duplici usu confirmari. Unus est ipsorum regum, quia, cum volunt annullare actum, non sunt contenti prohibitionem, sed specialiter declarent irritationem. Est accommodatum exemplum in lib. 5 Recopilat., tit. 2, l. 1, ubi, postquam nonnullæ prohibitiones in dotibus et donationibus inter sponsos latæ fuerant, subditur in hæc verba: *Et ut fraudes evitentur, præcipimus ut omnes contractus, pacta et pro-*

missiones factæ, vi hujus legis nulla in se sint, et nullius effectus. Immerito autem Mattienzo ibi in Glos. ult. addidit idem fore etiamsi hæc posteriora verba non adderentur; nullam enim legem regni ad hoc confirmandum adducit, sed tantum l. *Non dubium*, de qua jam dictum est; et l. *Fraus*, ff. de Legibus, ubi solum dicitur peccari in legem per fraudem; de irritatione autem nihil dicitur. Addita ergo fuere illa verba in illa lege, quia necessaria erant ad dictum effectum. Alia consuetudo est ipsius regni; ita enim communi usu accipiuntur leges prohibentes accipere munera, vel ludere aleis, vel solvere amissa in ludo, pecunia credita, et similes, quando non addunt clausulam irritantem; quando illam addunt, verba ita observantur ut non major intelligatur esse irritatio quam per illa significetur; et solum censeatur incurri per modum pœnæ, ac subinde cum modo et restrictione legis pœnalis juxta exigentiam verborum ejus, ut supra dictum est.

3. *Quomodo intelligatur lex de conventionione contra bonos mores, aut contra legem regiam.*— Objici tamen potest ex legibus Hispaniæ, l. 28, t. 11, p. 5, ubi in fine dicitur omnem promissionem seu conventionem factam contra legem regiam vel contra bonos mores observandam non esse, etiamsi in illa fuerit addita pœna vel juramentum. Ubi Gregor. Lopez, n. 7, videtur legem illam intelligere juxta l. *Non dubium*; ergo illa lex operatur in regno Hispaniæ, et in illo inducet generalem interpretationem ad omnes leges prohibentes, quam lex *Non dubium* introduxit pro terris imperii. Respondeo tamen illam interpretationem non esse necessariam. Nam idem Greg. Lopez, ad declarandam legem illam, citat l. *Si stipuler*, 35, ff. de Verborum obligationibus, in qua manifeste sermo est de promissione contra legem, vel contra bonos mores objective, id est, de promissione faciendi aliquid turpe, vel prohibitum per legem; hæc autem promissio dicitur non obligare, non quia prohibitio legis irritet actum, sed quia facit ut actus sit pravus, et consequenter quia natura sua promissio actus pravi est nulla, inde fit ut talis promissio ex natura sua non obliget. Et hic sensus optime confirmatur ex eo quod etiam addito juramento dicitur lex illa non obligare, quia nimirum juramentum non est vinculum iniquitatis, neque obligat ad rem turpem. Si autem sermo esset de lege tantum prohibente actum promittendi, vel paciscendi, non esset universaliter verum non obligare, etiam addito jura-

mento, ut alibi ostensum est. Accedit quod in illa lege non solum dicitur tale pactum non obligare, sed etiam dicitur: *Non deve ser guardado*, id est, observari non debet, quæ verba significare videntur etiam obligationem non observandi: signum ergo est loqui legem illam de promissione operandi contra legem, et ita nihil ad causam facit.

CAPUT XXXI.

UTRUM LEX DANS FORMAM ACTUI HUMANO SEMPER IRRITET ILLUM QUI FIT SINE TALI FORMA, ETIAMSII CLAUSULAM IRRITANTEM NON ADDAT.

1. *Formæ etiam morales dant esse rebus moralibus.*— Diximus de modo cognoscendi irritationem per legem directe prohibentem, nunc superest ut explicemus quando lex quæ dat formam actui vel contractui irritet consequenter actum, sine tali forma ac subinde contra talem legem factum. Aliqui enim sine limitatione vel declaratione respondent, quoties lex aliquid præcipit pro forma contractus, irritare actum aliter factum, etiamsi clausulam irritantem non addat. Fundari hoc potest, quia forma est quæ dat esse rei, quod principium cum proportionem verum est de forma morali respectu actuum moralium, quia defectus formæ prope substantiam rei destruit, ut dicitur in l. *Julianus*, § *Si quis*, ff. Ad exhibendum. Unde est commune proverbium juristarum: *Ex forma non servata resultat nullitas actus*, quod sumi potest ex l. 1, 2 et 5, eod. Quando provocare non est necesse, quas late refert Gratianus, c. ult., § *Diffinitiva*, 2, q. 6, et ex aliis juribus quæ infra referemus, et ex Glossa juncto textu in c. *Cum dilecta*, verb. *Irritam*, de Rescript.; Panor. in c. *Nulli*, de Rebus Ecclesiæ non alien., n. 7, et in c. *Si quis*, eodem, n. 4, et in c. *Prudentiam*, de Officio deleg. n. 5, et aliis doctor. eisdem locis; et Decius, cons. 261, n. 4. Aliaque refert Tiraquel. in leg. *Si unquam*, verb. *Revertatur*, n. 64.

2. *Omissio formæ accidentalis non tollit aut annullat.*— Hæc tamen sententia non potest indistincte accipi, non enim omnis forma actus etiam per legem ordinata substantialis est. Sæpe enim est accidentalis solemnitas, ut in sacramentis constat, et in matrimonio, cap. *Nostrates*, 30, q. 5, et in sententia ferenda ex l. 1, c. de Appellationib. et in Electionibus, ut c. *Quia propter*, de Electione. Omissio autem formæ accidentalis non tollit substantiam actus, et consequenter non annullat illum. Ergo

non omnis corruptio formæ, seu non omnis formæ corruptio annullat actum, sed cum distinctione de forma substantiali vel non substantiali. Atque ita tota difficultas quæstionis eo revocabitur, ut sciamus quando forma lege præscripta sit substantialis vel tantum accidentalis: non enim id distinguere facile semper est, præsertim cum contingat in eodem decreto aut lege, aliqua poni quæ accidentalia sunt, et alia quæ ad substantiam pertinent, ut in d. c. *Quia propter* notat Gloss., verb. *Senior*, et verb. *Viris*. Et in c. 1 de Electione, in 6, verbo *Formam*. Propter quod doctores varias regulas assignant ad has formas discernendas, quarum præcipuas commemorabimus, quæ licet singulæ non sufficiunt, omnes tamen conferunt, ut ex omnibus simul formæ qualitas cognosci possit.

3. *Prima regula.*—Prima regula est: Quando forma præscripta per legem continet naturalem æquitatem, tunc omissio ejus reddit actum invalidum, non vero alias si lex non habeat clausulam irritantem. Exemplum esse potest in forma judiciali, quæ habet ut sine præcedenti infamia contra aliquem non procedatur de illo in particulari inquirendo, vel quod accusatio in scriptis fiat, et denuntiatio præcedente monitione c. *Inquisitionis*, de Accusat., et cap. *Licet Heli.*, de Simon. cum similibus. Nam illa omnia nascuntur ex naturali æquitate, et ideo omnia substantialia reputantur. Potest autem prior pars hujus regulæ duplicem habere sensum. Unus est ut intelligatur de æquitate necessaria ex se ad valorem actus, ita ut ejus omissio impediatur ex natura rei valorem actus, et tunc a fortiori lex positiva ponens formam præcise fundatam in illa æquitate, ponit illam ut substantialem, ita ut omissio illius reddat actum nullum, quod ex se notum; quia talis lex non tam esset constitutiva quam declarativa juris naturalis, quando ibi intercedere supponitur. Unde ad cognoscendam talem legem et ejus æquitatem, utendum est regulis supra positis de lege naturali: et ideo hic sensus non proprie spectat ad formam positivam de qua agimus.

4. *Secundus sensus.*— Alius ergo sensus esse potest de forma instituta in lege moraliter necessaria ad observandam æquitatem, quia, licet non intrinsece neque necessario ex se illam contineat, nihilominus sine illa, vel nunquam, vel frequentius non servabitur æquitas, et cum illa frequentius servabitur. Et in hoc sensu est probabilis regula, maxime quando periculum illud fraudis seu iniquitatis non so-

lum imminet in ipso actu, sed etiam in valore et effectibus ejus. Nihilominus tamen etiam hoc modo regula per se non est infallibilis nec sufficiens: nam, licet hoc sit magnum indicium, quod lex constituat illam formam ut substantialem, solum non sufficit sine aliis conjecturis, vel majori fundamento in verbis legis, ut ex dicendis magis constabit: unde certior est secunda pars negativæ regulæ. Nam si forma non est de re per se admodum necessaria ad æquitatem, sed ad ornatum, vel ad melius esse, et alioqui non adduntur verba irritantia, non est unde illa forma possit judicari substantialis. Secus vero erit si lex addat clausulam irritantem, quia legis efficacia ad hoc extendi potest, et per illa verba satis significatur ille effectus, ut videbimus.

5. *Secunda regula.*—C. *De causis.*—Secunda regula est: Quando forma talis est ut renuntari non possit, substantialis est; si vero possit renuntari, non erit de substantia. Insinuat Glos. in c. *De causis*, verb. *Consensu partium*, de Offic. delegat; sequitur Felin. in cap. *Tuis*, de Testib., n. 1, ubi refert Bald. et alios qui posteriorem tantum partem ponunt expresse. Cujus ratio esse potest, quia substantia et essentia rei est immutabilis, et ideo si per voluntatem partis cedentis juri suo potest actus valere sine tali solemnitate, signum est illum non esse de substantia. Et consequenter e contrario quando est tam necessaria ut etiam per voluntatem contrahentium auferri non possit, magnum argumentum est substantialem esse.

6. *Regula prædicta non est generalis.*—Tamen hæc etiam regula generalis non est, et quantum attinet ad res morales parum habet utilitatis. Nam imprimis circa priorem partem multæ sunt solemnitates actuum accidentales tantum, quæ tanta necessitate sunt præceptæ ut non possint licite omitti, etiam ex voluntate operantium, ut constat de solemnitate Sacramentorum accidentali, vel sacrificii Missæ, et de publicis denuntiationibus matrimonio præmittendis, et de forma pro excommunicatione præscripta in cap. 1 de Sententia excommunicationis in 6. Et ratio est, quia etiam præceptum de forma accidentali potest non respicere privatum commodum operantis, sed commune, vel rei decentiam et æquitatem secundum se, et ideo non potest privatus operans illi renuntiare. Dices, quamvis non possit ita renuntiare ut licite illam omittat, posse tamen ita ut valide. Sed hoc nihil juvat, quia illa renuntiatio nulla est, nullumque effectum habet: nam sive